



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

**EPISTULA DATA**  
**FRANCISCO S.R.E. CARDINALI KUHARIC,**  
**ARCHIEPISCOPO OLIM ZAGABRIENSI**

*Venerabili Fratri Nostro*

*FRANCISCO S.R.E. Cardinali KUHARIC*

*Archiepiscopo olim Zagabriensi*

Cum non pauca adhuc nec parva reddiderimus singularis cuiusdam benevolentiae testimonia erga nationem catholicamque communitatem Croatiae, libenter idcirco participes Nos esse volumus tam salutatione Nostra ac Benedictione quam cohortatione ac laudatione celebrationum illic maioris momenti ecclesialium tum etiam civilium.

Perplacuit itaque magnopere Nobis consilia illa ac sollemnia cognoscere quibus perantiqua dioecesis Sebenicensis suum mox commemorabit septingentesimum natalem, nempe septingentesimum vitae operaeque feliciter completum annum, ex quo Decessor Noster Bonifatius VIII providentissima mente excitavit dicionem novam eiusdem nominis Kalendis Maiis anno millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Praeteritam sic historiam repetentes suam et gloriam superioribus hisce novem annis Pastor ipse et grex Sebenicensis quam aptissime ad aliud percurrendum sese praeparaverunt saeculum, at praesertim ad tertium ingrediendum fidei christianae millennium. Quae videlicet praeparatio proximi mensis Septembris undetricesimo die cumulabitur ac veluti nobiliore coronabitur serto renovationis spiritalis.

Ne quidquam vero huic celebritati desit et ut persona Nostra certo quodam modo ibidem adsit, hisce temet ipsum, Venerabilis Frater Noster, Litteris destinamus *Missum Extraordinarium* Nostrum Sebenicenses ad ritus quibus septingentesima illa absolvetur commemoratio. Pro Nobis

adstabis igitur et omnes Nostra quasi voce adstantes salutabis; ad Nostri animi sententiam priora illius communitatis collaudabis merita ad novaque et maiora etiam catholicae industriae opera incitabis clerum ac populum omnem. Eos tum postremo Apostolica Benedictione Nostra recreabis et confirmabis in laudabilibus eorum propositis in posteros annos.

Gratum denique animum Nostrum hoc de officio tibi, Venerabilis Frater Noster, testamur plurimamque simul, ut totiens antehac, benignitatem.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana